932 628 ! SWA NO VAĆ

932 624

–

932 629

Q. B. V.

ΑΓΓΕΛΟΛΟΓΙΑ,

SEU

ANGELUS,

Potissimùm ê Theologia Naturali Syntheticè traditus,

&,

GUBERNANTE PRINCIPE ANGELORUM,

Sub Præsidio

VIRI

MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI,

DN. JOAN. ERN. Pfuel/S.S. Theol. Doct. Prof. Publ. Ordin. ac Regii Gymnasii Carolini, qvod Sedini est, Rectoris celeberrimi;

Dn. Fautoris ac Præceptoris æviternum colendi,

Publico ac Modesto Colloqvio exhibitus

à

LUDOVICO CHRISTOPHORO GABRIEL. Sed. Pom.

Anno M. DC. LXXXIX. die XXII. Martij ab hora 9. mat. in Aud. Majori,

STETINI,
Typis DANIELIS STARCKII, Reg. Gymn. CAROL. Typogr.

POMERANIÆ REGIÆ
EX
PRÆLATORUM EQVESTRI,
ET
CIVITATUM
ORDINE

PROCERIBUS EMINENTISSIMIS:

Illustribus ac Reverendissimis,

Maximè Strenuis, Generosis, Nobilissimis

& Consultissimis

PATRIBUS PATRIÆ,

Suisq; Patronis & Promotoribus

humilimè devenerandis,

Hoc, qvicqvid est Exercitii,

submissè & reverenter

D. D. D.

Devotissimus EORUM *Cliens*

AUCT. & RESPOND.

εὖ! εὖ!

CUm ante qvidem ψυχολογία, sive Doctrina de Anima, *ad disputandum proposita fuerit, ego illa premens vestigia, periculum virium mearum, qvas eqvidem tenuissimas novi, facere in* Αγγελολογία *conatus sum; Cui forsan tandem ipsa* Theologia Naturalis, *in specie dicta, succedet. DEUS ipse, Angelorum Author & Conservator, adsit proposito, gratiamq; adspiret. Sit ergò* ἄνευ προοιμίων.

ANGELOLOGIÆ

SECT. I.

DE ONOMATOLOGIA.

§. 1

ANgelus *Officii* nomen *Formaliter* & per se est: *materialiter* & subjectivè personam notat, *nuncium* qvæ affert. Qvi inter *originem* vocis & *usum* hic distingvunt, meô animô cardinem non tangunt rei: cum & *usus* longè vetustissimus *origini* hâc parte respondeat, ut Angelus *nuncium* notet. Ita enim & *Græci*, qvibus *originem* suam acceptam refert vocabulum, pro qvovis *nuncio* perpetuo adhibuere: id qvod *Lexicographi* passim *Homeri*, *Xenophontis*, *Hesiodi*, *Thucydidis*, *Plutarchi*, *Herodoti*, aliorumq; scriptorum auctoritate tuentur.

§. 2. Inde & evenit, ut sacratissimus verbi DEI Codex, sub *nuncii* sensu, plurimis & ἀγγέλου nomen in græco, & in Hebræo מַלְאָךְ qvod cum *Angeli* illo plane convenit, imponat. Neq; enim *proprium* vocabulum, ut in *Italorum* illis: *Angelus* Politianus, *Angelus* de Aretino, *Angelus* Trevisanus, *Angelus* de Clavasio, &c. vel in patria nostra lingva, ubi fre-

1441.

qvens illud sive Prænomen, sive nomen Engel: sed *appellativum* & commune est.

§ 3. Atq; adeò in sacris, ut dictum, *Filio DEI* κατ᾽ ἐξοχὴν tribuitur, tum ἀσάρκῳ in V. T. tum ἐνσάρκῳ in N. T. ceu *Angelo increato*; nec tantum *bis* in *V. T.* [contra *Syncretistas Helmstadienses* & *Regiomontanos*, strenuè hic papizantes (*a.*)] *Es. IX. 6.* & qvidem cum addito *consilii* in Græco, & *Mal. III. 1.* cum addito *fœderis* in Ebræo. Conf. *Hebr. IX. 5.* Sed sæpius, & simpliciter partim, *Ex. XXIII. 20.* & *Hos. XII. 4. 5.* partim cum addito *Gen. XVI. 7. XXXI. 11. 13. XLVIII. 16. Es. LXIII. 9. &c.* Nam & ipse missus à Patre in tempore *nuncius* Divinæ voluntatis; qvamvis non tantum, contra Socinianos, sed & imprimis ut nos obedientia sua activa & passiva redimeret: qvodq; in hypostasi sua, sub visibili specie identidem in *V. T. Legatus* apparuit, facile ab *Angelis creatus* è contextu, & attributis, & locis paralelis discernendus. Qvamvis sint nonnulli Orthodoxi, qvi loca *Dan. X. 13. 21. XII. 1. Ep. Jud. IX. Apoc. XII. 7.* adhuc ambigua, sed præter rem (*m*)putant. Prolixe de omnibus B. *D. Klotz.* (*b*) ex parte & B. *D. Danhawerus* [*] & alii.

§ 4. Tribuitur & *Sacerdotibus* cum in *genere Mal. II. 7.* tanqvam missis à DEO sive immediate, s. mediate, *legatis Hebr. V. 4. 2. Cor. V. 20.* & *nunciis pacis Es. XXXIII. 7.* tum *in specie Hagai, cap. I. 13. Johanni Baptistæ, Mal. III. 1. Matth. XI. 10.* & *Episcopis septem* Asiaticis, in Apocalypsi.

§ 5. Tandem & *creatis spiritibus completis*, communi vulgariq; cognomento, datur, ut Angeli vocentur; qvi sensus & in præsenti obtinet. Namq; & ipsi in ministerium tutelamq; piorum mittuntur, in malorum pœnam: qvin & extraordinarie *boni Angeli* (non mali, licet hi qvandoq; has partes, permittente id DEO, protervè invaserint) *nuncii* qvandoq; divini con-

(a) *Vid. Consens. repetit. & vindic. p. 205. seq.* (b) *In Angelolatr. sua.* (*) *Hodosophia p. 184.*

mi consilii & futurorum fuere. Qvamvis hodie, post constitutum canonem, & Ecclesiam fundatam propagatamq;, DEI tentatio sit, tales apparitiones & denunciationes cum *Enthusiastis* vel exspectare velle, vel petere; nec temerè, si & in *civilibus* eveniant, in *rebus fidei* neutiqvam ratificandas. Qvæ lis B. *Stolterfortii* & D. *Fabricii* qvondam fuit. Vide ultimam illius Apologiam & D. *Hülsemannum* (c) nec non scripta M. *Jodoci Willichii*, (d) & M. *Michaëlis Theoph. Lehmanni*, in hanc rem. (e)

§. 6. Excusari tamen possunt B. *Arndii* preces: (f) Laß mir die Engel erscheinen im Schlaff / wie dem Joseph ꝛc. vel qvod non de *Angelo informante*, *sed custodiente* locutus, ut B. D. *Johann. Olearius*, (g) exponit: vel de *Angeli* non (*subjectivè* spectati,) *denunciatione* rei cujusdam, sed (*objectivè* spectati) *somniatione* saltem, qvod contextus evincit, loqvatur: Ut nempe de DEO (de qvo ante *Arndius* ait) Angelis, & rebus cœlestibus somniet; qvæ dulcissima & optatissima somnia sunt. Cæteroqvi qvà *annunciationem* fidei & religionis, habemus Mosen & Prophetas, *Matth. XVI. 29.* Apostolorumq; conciones *Gal. I. 8.* hos solos audiamus.

§. 8. *Synonyma Angelorum Grammatica* qvod attinet, sunt illa vel in *genere Angeli præcise sumpti*: vel *in Specie* bonorum & malorum. Illa sunt, qvod *Spiritus* dicantur *Latinis*, *stricte* sumpto vocabulo, cum *late Angelorum* genus sit, & plurimis conveniat: מַלְאָכִים *Ebræis*, ab Æthiopico לאך misit: πνεύματα *Græcis*. Ab his & δαίμονος vocem indifferenter adhibitam legimus, & *si malis* tributa, Cacodæmonis redditam vocabulo; si *bonis*, εὐδαίμονος, vel ἀγαθοῦ δαίμονος. Cui & vinum in mensâ secundâ libatum; disceptantibus inter se eruditis, an ultimus potus fuerit *Jovi servatori* sacer, qvod

 ex

(c) *Præl. in Brev. c. 3. Th. 8. p. 1149.* (d) *In l. Vision. Vanit.* (e) *l.* Die Engel-Probe. (f) *In Hort. Parad.* (g) *Theolog. Univ. pag 48.*

ex Athenæo *Erasmus* (*h*) vult, & *Turnebus*: (*i*) vel an primus, & ab illo διὸς σωτῆρος, *Jovis servatoris*, diversus; qvod ex *Aristophane Ludovicus de la Cerda* (*k*) tuetur.

§. 8. Cumq; δαίμων sit qvasi δαήμων, gnarus, sciens, (Unde & hominibus qvandoq; tributum, ut, ob sublimem scientiam *magna hominum dæmonia* dicerentur, æqve ac *Aristoteles* δαιμόνιος, *Plato* θεῖο) facile apparet, *qvà rem* conveni-re cum, *Angelo* & *Spiritu*; *qvà modum* significandi disconvenire, & esse *spiritum naturæ* nomen; *Angelum officii*; *Dæmonem qvalitatis*. De prioribus ita *Augustinus*: (*l*) *qværis nomen hujus naturæ? Spiritus est: qværis Officium? Angelus est. Vide illud in homine; nomen naturæ homo, officii miles, nomen naturæ vir, officii præco.*

§. 9. De *Dæmone* adhuc notandum, ut in sacro Codice V.T. (ubi per שד tanqvam *vastatorem*, plerumq; redditur) & Novi T. nisi forte cum *Danæo* unum locum excipias, *Act. XVII. 18.* sed *recitative* saltem, ex Atheniensium mente prolatum, in *malam partem* accipitur: ita hodie illum sensum esse freqventiorem.

§. 10. Convenit cum *Dæmonis* voce, si *sensum* spectes, qvod *Græcis*, in his Aristotelicis inprimis, & dein *Latinis* Angeli *mentes* dicuntur & *Intelligentiæ* [Hebræis שִׂכְלִים] idqve non in sensu *Noologico*, sed *Pnevmatico*: qvas & motrices stellarum perperam Peripateticorum Schola fecit. B. *D. Meisnerus* & ex illo *D. Mejerus*, (*m*) *naturæ* hoc dicunt nomen, qvod non operentur organicè: sed ita à posteriori, sumpto *naturæ* nomine consecutivè: Conf. *cap. 3. § 14. Casmannus* (*n*) forsan rectius à *qvalitate*, & cognitione non *sensitiva*, sed *intellectiva*. Qvamvis & DEO hoc nomen *mentis* & *intelligentiæ* attributum

(h) *Adag. Chil. 2. dec. 8. Ad. 1.* (i) *Lib. 24. Advers. c. 35. fol. 896.* (k) *In Virgil. l. 1. Æneid. fol. 134.* (l) *In Psalm. 104.* (m) *Pnevm. Diss. 17. ad pr. 2. §. 1.* (n) *In Angelograph.*

cum legamus, utpote in illo Philosophorum: *Opus naturæ est opus intelligentiæ non errantis:* ubi in operibus naturæ omnis error *causæ non primæ*, DEO, qvæ nunqvam deficiens est; sed *causæ secundæ* venit imputandus.

§ 11. *Genios* qvoq; Angelos designâsse qvondam verisimile est, qvamvis varios vox ista sensus inter gentiles sustinuerit. [Vid *Rosinus.* (o) & *Georg. Wonna*] (p) ut veritatem passim in illa cæcitate corruperunt: tamen pro *Ministris Deorum* & *præsidibus locorum* ac *hominum* habiti, *maliq; ac boni*, h. e. *Angeli* dicti. *Wonna* (q) illud ex *Martiano Capella* tuetur. Conf. B. *D. Scharffium* (r).

§. 12. An vero hos *Genios* Ethnici qvoq; *Angelos* dixerint, dubitari poterat. Sed Porphyrii vox fertur: λογικοὶ ἐσμὲν καὶ ἡμεῖς, καὶ ἡ ἄγγελοι: & confirmat illud *Lud. Vives* (s) in *Augustinum*, ac plane probabile est; cum multa de *Angelis* Gentes, maxime *Ægyptii*, & hinc alii ex *Judæis*, inter commercia & captivitates, hauserint. Cumq; ipsum vocabulum *Angelus* græcum sit, inde ad alias gentes qvasi per manus fuit translatum. Conf. B. *D. Schertzerum*, (t) *D. Calovium*, (u) *Johan. Gerh. Voss.* (w).

§. 13. Sed nil attinet *Synonymis Angeli* immorari diutius (ut qvod *Speudo-Dyonysius Agalmata* vocat, sive *specula*, voce *Pontificiis* haud ingrata, vel *imagines &c.*) qvæ apud *Alstedium*, (x) *Hackspan*, (y) & alios copiosè leguntur. Ad *speciales* qvoq; *Angelorum* sive bonorum, sive malorum denominationes descendere; ut qvod illi *Zebaoth*, *vigiles*, *filii DEI*, *Cherubim*, *Seraphim*, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις, θρόνοι,

 κυριο-

(o) *Antiq. Rom. l. 2. c. 14. p. 345.* (p) *in 3. Dispp. de Geniis* (q) *Disp. 1. de Gen. c. 3. § 7. fin.* (r) *In Pneum. l. 2. cap. 2.* (s) *De Civ. DEI l. 9. c. 19.* (t) *Discursu Philos. Philol. de Angel.* 1. (u) *Tom. 4 Syst. Theol. p. 10.* (w) *L. 1. de Orig. & Progr. Idol. c. 11.* (x) *Encyclop. l. 6. Pneum. part. 3. c. 1.* (y) *Diss. de Ang. Nom.*

1445.

κυριότεις, Angeli lucis &c. Hi *Angeli mundi, immundi*, *Satan*, *Diabolus*, *Cacodæmon*, Αντίδικος, *tentator &c.* in Scriptura, & alias passim dicuntur, in præsenti eqvidem alienum foret, ubi adhuc *in genere de Angelis* soliciti.

SECT. II.

DE PRAGMATOLOGIA

CAP. I.

DE EXISTENTIA ANGELORUM.

§. 1.

QVà *rem & naturam Angelorum*, imprimis *existentia* eorum pensitanda venit, & *an sint?* Qvod *essentiam*, & qvæstionem *qvid sint* semper præcedit. Spectanda autem *existentia Angelorum* vel *absolute*, an *dentur?* vel *respective*, qvo *loco* de iis agendum.

§. 2. *Existentiam absolutam Saducæi* qvondam negârunt, *Act. XXIII. 8.* (excusantibus qvidem illos *Pet. Molinæo*, (a) *Kippingio* (b) *&c.* qvod *Spiritus* Παρέδρους, sive *familiares*, *Judæis* vulgo assertos, saltem negârint; Joseph. Scaligero (c) ignorantiam suam prætendente; & ipso B. *D. Ægid. Strauchio*, (d) relinqvente in medio; *Episcopio* (e) autem Arminiano *ad permanentem existentiam* falsò restringente: sed plerisq; nostratium refragantibus, qvos inter unicum hic *D. Joh. Andr. Osiandrum* (f) laudo) nec non *Anabaptistæ* & *Libertini*; *Hermannus Riswich* Batavus, Anno 1512. Hagæ-comitis crematus, *David Georgi*, Delfensis Batavus, Anno 1556. effossus; & cum libris suis itidem ignibus consumptus; aliiq; *Epicuréi* & *Athei*

(a) *Vide Osiandr. l. cit.* (b) *Antiqv. Rom. l. 1. c. 1. p. 5. 6.* (c) *Elench. Triber. c. 16.* (d) *Def. Theol. IV. tern. XI. def. 1.* (e) *Instit. Theol. l. 4. Sect. 2. cap. 2.* (f) *Syst. Theol. part 2. art. 33. th. 2. & 3.*

Athei, imo & *Conscientiarii*, (g) sic dicti. Omnes hi *Angelorum existentiam* infitiantur, & nunc per *phantasmata*, nunc per *motus animi, affectusq́*, aut nescio qvid aliud perperam exponunt.

§. 3. Non desunt ex adverso, non dicam in *Scriptura S.* sed etiam in *ipsa natura* rerum documenta qvædam, qvæ *Angelos* esse satis evincant; & *illa* qvidem luculenta, & ex ore DEI deprompta summe necessaria, *Psalm. XCI. 11. CIV. 4.* [qvamvis illum locum *Calvinus*; seqventem *Enjedinus* Photinianus pravè exponant] *Colos. 1. 16. Hebr. I. 14. &c. Hæc* vero ut probabilia saltē ex mente B. *D. Shertzeri*, (h) *D. Joh. And. Osiandri*, (i) *D. Gerhardi*, (k) aliorumq; qvorundam nostratium: vel ex parte probabilia potius, ex parte necessaria; aut non ita necessaria, ut non necessitati assertorum divinorum ultrò concedant. In qvem sensum comparatum libentius interpretor asserta illa Theologorum: secus ac *Greg. de Valentia, Becani, Cornæi, Lalemandetii*, Pontificiorū; & *Heerebrodii* Calviniani, aliorumq;, qvi & BB. *Scheiblero* & *Jac. Martini* insultare conati, qvod necessitatem qvandam asseruerint. Conf. *D. Georg. Meierus.* (l)

§. 4. Nempe *argumenta à priori* qvæ afferuntur à Philosophis, mere probabilia sunt, partim & inepta, nihilq; stringentia: *sed à posteriori* sua gaudent graduali necessitate. Unum enim necessitate præpollet alteri: atq; alia divina plane infallibilis; alia naturalis necessitas est: absoluta alia; alia hypothetica: etiam demonstratio à priori alia; alia à posteriori est.

§. 5. Sic vix probabile est argumentum, qvod *ex possibilitate* petitur: *non impossibile esse, aut contradictorium, dari Spiritus finitos completos.* Siqvidem non ut entia *in potentia*: sed

entia

(g) *Vid de his D. Micrel. Synt. Hist. Eccl. ed. Hartn. p. 1268. seq.* (h) *l. c.* (i) *Syst. Theol. l. c.* (k) *L. C. Theol. hoc l.* (l) *Pneum. Disp. 17. Sect. 3. Probl. 1.*

entia *actu*, & existentia actualiter indagamus. Nec à posse ad esse valet conseqventia.

§. 6. Eodem loco habenda, qvæ sic struuntur: *Dantur creaturæ materiales; ergo & immateriales: dantur immateriales incompletæ, animæ nostræ; ergò & completæ, Angeli. Deus enim perfectissimum producit: nec imperfectum potest absolvere ultimum creaturæ gradum.* *B. Scharff.* in Pnevm. (m) è *Schvaretzio* & B. D. *Scheiblero* hoc urget. Sed, pace Viri dixerim, creatio actio DEI libera est, ut nulla necessitate Angelos creârit. DEUS produxit perfectissimum qvodq; in suo genere: qvalia & corpora in suo genere, & anima qvoq; nostra perfecta satis; cùm nihil ei desit, qvod adesse debebat. Aliud *incompletum*: aliud *imperfectum* est.

§. 7. *Thomæ Aqvinatis*, (n) & Commentatoris ejus *Cajetani*, aliorumq; *Thomistarũ*, argumentum à *mundi perfectione* petitum, *tanqvã in se omnes gradus essendi continere debeat, etiam species possibiles;* itidem levissimi momenti est. Formale qvippe perfectionis est indefectibilitas debiti esse; qvam mundus, ceu aggregatum, in tot essentiis analogicè habet, qvot solus voluit Deus. Cumq; Angeli ne qvidem partes mundi sint, accuratè loqvendo; ubi mundus compages ordinata corporum est, in iis tandem interiturus qvoq;; qvid ad mundi perfectionem, & qvidem necessariam, conferant Angeli? Possibilia qvoq;, cùm essentiam non habeant, qvæ propriè dicta actualis est, nec habebunt essentiæ aliqvem gradum. Ubi res non est, ibi nec intensior est.

§. 8. Non credibile esse, DEUM *nobilissimam creaturam non creâsse, & sibi maxime similem, cum viliora creârit.* Argumento hoc plane superbit *Svaretzius*, (o) *Scheiblerus* [p] qvoq; sat validum censet. At enim jam *Mendoza* (q) advertit, *conjectu-*

(m) *lib. 2. c. 2.* (n) *p. 1. S. Theol. qv. S. A. 1.* (o) *Disp. 35. de Immat. Subst. p. 1. n. 5.* (p) *Metaph. l. 2. c. 4. art. 2.* (q) *Disp. 12. Metaph. s. 2. §. 9.*

jectum hoc esse, non argumentum. Meri qvippe arbitrii creatio est, qvod ante dictum, & poterat adeò DEUS creâsse sola materialia, solusq; manere immaterialis: sicuti creavit finita mera & externe corruptibilia, & solus mansit infinitus, & absolutè incorruptibilis. *Similitudo* qvoq; *improprie* & *analogice* accepta, convenit toti mundo: *stricte & totaliter* homini, qvi solus ad imaginem hac parte, & phrasi Scripturæ conditus: *partialiter & generatim*, & phrasi Patrum, *Damasceni*, *Theodoreti &c.* saltem Angelis, contra *Socinianos & Arminianos*. Cumq; insuper ad imaginem DEI creatio facta καθ' ἀλλοποίησιν, poterat satis esse, si solus homo ad imaginem DEI productus. Tandem nec *vile* qvicqvam in creaturis est, sed omnia in suo genere perfecta & nobilia satis.

§. 9. Ut ergo hæc *argumenta à priori* deducta nimis infirma, & vix probabilia sunt; ~~Ita à *posteriori* tamen alia (ut ple~~raq; à posteriori cognoscimus) necessaria magis. Huc ergo *opera & actus* pertinent, per qvæ in ipsius agentis notitiā inducimur.

§. 10. Non autem hic cum *Aristotele* [qvem tamen voce Intelligentiarum Angelos asseruisse *Theopolus*, referente *Casmanno*, (r) negare sustinuit] *motum orbium cœlestium* per *intelligentias*, utut *Conimbricenses*, aliiq; *Peripatetici*, illud ceu palmarium censeant, afferendum puto. Orbes siqvidem cœli *realia* entia non sunt, sed *rationis*, qvæ moveri non possunt localiter: nec stellæ illis affixæ: nec motus stellarum *violentus*, & ab externo principio, sed *naturalis* & ab interno: officium qvoq; hoc Angelorū nimis ignobile, & male fundatum.

§. 11. Sed *Oraculorum responsa*, fallacia qvidem plerumq; & *futurorū* tamen *contingentiū*, *vel occultorū præsaga*, non Deo veritatis auctori; nec homini, qvi futurorū talium incertus; nec terræ, vel stellis inanimatis tribui possunt: sed, ut recte *Peucerus*, (s) *Philippus Mornæus* (t) aliiq; censent, Dæmonibus at-

(r) *Angelograph. p. 1. c. 2.* (s) *L. de divinat p. 221. seq.* (t) *L. de Verit. Relig.*

tribuenda sunt; qvæ & nato Christo, ubi boni Angeli laxabant voces, obmutuerunt.

§. 12. Sed & *apparitiones spectrorum*, cum horrendis fragoribus, vel vocibus etiam futurorum prænunciis conjunctæ, Dæmones, & hinc Angelos docent. *Imaginatio* sola, aut nescio qvæ *atra bilis*, qvæ *Atheistarum* effugia sunt, talia reapse non præstant, ubi videntibus & vigilantibus nobis tale qvid obvenit: nec *anima separata* id efficit, qvorsum *Becanus* interpretatur; cum per *naturam* sciamus, (ne jam è *scriptura* illud refellam) animam non videri, nec inde constet sic apparere posse: ipsa potius gentilitas crediderit, eo abire mortuos, unde nemo reverti qveat.

§. 13. Adhæc *opera Magorum*, aut alias Diaboli mancipiorum, omnem vim humanam excedentia, nec convenientia DEO, interim plane *miranda* [non autem *miracula*] qvid aliud sunt, qvàm superioris alicujus virtutis, interq; DEUM & hominem mediæ argumenta? Hinc ergo *spirituum familiarium* vis, tempestatum horrendus & ad arbitrium motus, aliaq; tùm vera opera, tùm ficta & glaucomata.

§. 14. Qvid? qvod & in *obsessis peregrinarum lingvarum usus, occultarum rerum notitia, terribilis corporis agitatio*, aliaq; ejusmodi non à DEO proficisci possunt, cum ipsius sanctitas, blasphemias illas, qvæ miscentur, in se ipsum projicere neqveat: nec *morbus* aliqvis lingvas peregrinas hominibus rudibus subjicere, aut occulta manifestare potest: *Animæ etiam separatæ* non imputandum, cum propria ac specifica adhuc adsit, vivatq; homo, atq; à Dæmone liberatus ac redditus sibi, pristinæ qvoq; reddatur imperitiæ: *aliena* autem *Anima*, per explosam μετεμψύχωσιν, in aliud corpus migrare neqvit, nec lingvas illas, aut occulta callere: multò minus per herbam Indiæ

Relig Christ. c. 23. p. 399 seq. *Conf.* P. Molinæi *Vales l. 3. c. 9. seq.* *&* D. Mœbii *l. de oraculis.*

diæ, *Cobobam*, ut *Cardanus* alicubi delirat, subjici talia qveunt. Conf. B. D. *Balduinus* [*u*] qvi & alibi [*w*] ex *naturali metu* dæmonum, *Angelorum existentiam* probari posse contendit. Ut non videam, cur *Gerhardus Joh. Vossius* [*x*] reprehensionem mereatur, qvod ex prædictis indiciis Angelos ex natura deducat, plurimos Scholasticorum secutus. Qvibus & Gentilium testimonia longo ordine addere liceret, si non in compendium hic omnia conferenda. Sufficiat unus *Plutarchi liber* de defectu oraculorum, *Turnebi* & *Philippi Camerarii* notis illustratus: nec non *Apuleji. l.* de *Dæmonio* Socratis.

§. 15. Existentia autem (post *absolutam*) etiam *respectiva* probanda. Non soli autem *Theologiæ*, cum *Amesio*, hæc Doctrina relinqvenda; cum & ex natura aliqvam partem & suo modo certe sciatur: nec tamen & cum *Vasqvezio Philosophiæ* magis, qvàm *Theologiæ* asserenda. Convenit utriq; cum & *credantur* Angeli, & *sciantur*: perfectiorq; notitia è *scriptura*, qvàm *natura* hauritur.

§. 16. At nec in *Metaphysicis* commoda huic Doctrinæ sedes est, ut, post *Aristotelem*, *Scheiblerus*, *Ebelius*, *Sengverdius Watson*, *Burgersdicius*; & Scholastici qvoq;, *Schvarezius*, *Ariaga*, *Philippus à Sancta Trinitate &c.* in commentariis suis Metaphysicis disputant, abstractione decepti, qvam *secundum rem & rationem à materia Metaphysicæ assignant*, cum *secundum indifferentiam* sit; & confundentes insuper *transcendentia Entis nobilitate* (qvalis DEUS & res divinæ) cum *transcendentibus entis communitate* (qvales termini Metaphysici) qvæ ad particulares essentias, corporeas vel incorporeas, se non demittunt.

§. 17. Multo minus ad *Physicam* pertinet, cum *Scribonio*, *Scheckio*, *Casmanno*, *Goclenio &c.* cum immaterialia ad materiale

[u] *Cas. Consc. l. 3. c. 3. Cas. 12.* [vv] *l. c. l. 3. c. 2. cas. 1. p. 571.* [x] *l. de Orig. & progr. idol. c. 6.*

1451.

riale directè redigi haud possint, & distincte ibi cognosci. Sed *Pnevmaticæ*, sive disciplinæ de spiritibus, à pluribus hodie Philosophis assertæ, *Angelologia*, qvà *naturalem notitiam*, (ut qvà *revelatam* Theologiæ) relinqvenda est. Nec opus est tamen *Pnevmaticam à Theologia naturali* cum *Jonstono* (y) discernere: ut *hæc* Doctrinam de DEO tantum; *illa* de Angelis, & Anima tantum complectatur. Ipse DEUS qvoq; πνεῦμα, seu Spiritus est, adeoq; ad *Pnevmaticam* pertinet, *Theologiam naturalem* à potiori hoc objecto, qvod primitatis barbari scholastici vocant, appellatam.

Cap. II.

DE ESSENTIA ANGELORUM

§. 1.

POst *Existentiam*, *Essentia* tradenda est, qvæ *definitione* & *causis* absolvitur; qvarum *illa* internum indicat esse: *hæ* dependentiam declarant, qvod non à se ipsis sint, cum solus Deus sit, Scaligeri voce (sed *negativè* accepta, qvod non sit ab alio; non *positive*, qvod se ipsum constituerit) αὐτοαυτος, ἢ αὐτοούσιος.

§. 2. *Definitio*, qvà ex *natura* constat Angeli essentia, utq; in præsenti imprimis attendimus, est: *Qvod sit spiritus finitus completus.* Definitiones Theologicæ, (qvalem tamen & *Scharffius* in *Pnevmaticis* posuit] sunt uberiores, ut passim vel in Cathecheticis libellis exstant: qvia & cognitio de Angelis ex *revelatione plenior*, *specialior* & *distinctior*; ex *natura imperfectior*, [comparate] *generalior* & *minus distincta*.

§. 3. Pro *genere* ponimus *Spiritum*, in oppositione *corporis*: cumq; *hujus* formale sit materialitas, *illius* immaterialitas, frustra sunt qvi, *immateriale* addunt, & ταυτολογίαν committunt, qvia Spiritus omnis est immaterialis. Qvo nomine displi-

(y) *Polymeth. Phil. l. 3. cap. 15.*

displicet *Scheibleriana* illa [a] qvam & *Prücknerus* [b] tamen retinuit: *Spiritus finitus independens à corpore.* Nam qvamvis *independentia* illa animæ nostræ opponi, & idem ac completum esse videatur: tamen & *relativum* nomen positum, cum *absolutum* in re absoluta potuisset: & *dependentia à materia* non ita accuratè animæ assignatur. Formæ materiales qvà existentiam à materia dependent: nostra forma & anima, cum Spiritus sit, qvà essentiam & existentiam, pariter ac Angeli, est immaterialis. Activum principium est, qvod non tàm à *passivo* corpore, qvàm, versa vice, hoc ab isto dependet.

§. 4. Eòdem impingunt B. D. *Jac. Martini* [c] plures adhuc ταυτολογίας cumulans, dum *Spiritum* describit *separatum & liberum* (qvæ Synonyma) *à corporibus &* [qvod cum priori est idem] *ab omni materia corporea:* & *Alstedius,* [d] cui *Angelus est Spiritus creatus, separatus, s. liber ab omni corporis unione.*

§. 5. Qvi *Substantiæ* nomen in locum *Spiritus*, cum *Damasceno* (e) & aliis substituunt, non advertunt, hoc justo latius esse, cum proximum ponendum sit: sic & qvi *creaturam* ponunt, adhuc altius evagantur; cum & accidentia concreata, & sic creata sint. Tanto minus autem *essentiæ* nomen, qvo nihil generalius, commodum est.

§. 6. Adjicitur Spiritui nomen *finiti*, ut tantò *proprius Genus* ponatur. Cumq; DEUM, summum illud & primum ens, per naturam sciamus *infinitum*, ac constet qvoq;, duo infinita entia realiter distincta esse non posse; cum uni, in illo reali discrimine, infinitæ perfectionis qvid deesse debeat, ut infinitum adeò perfectè non sit; hinc extra DEUM omnia *finita* cognoscimus. Hac ergo voce à DEO, *Spiritu infinito*, Angelus

(a) *Metaph. l. 2. cap. 4. tit. 2.* (b) *Pneum. P. propr. c. 2. pr. 1. pag. 31.* (c) *Exerc. Metaph. l. 2. Ex. 3. th. 2.* (d) *Encyclop. l. 6. Pneum. p. 3. c. 1. Reg. 1. pag. 613.* (e) *l. 2. de O. F. c. 3.*

1453.

lus immensum distat [DEUS & creatura sunt res *infinita distantia positive*; sicut ens & non-ens *negativè*] nec uno genere, qvod DEUS non habet, continetur.

§. 7. Dum autem *finitum* dicimus, intelligimus *fines* inprimis *essentia* & *durationis* à parte ante, qvod semel cœperint, etiamsi à parte post *finem* actu non habeant, & in ævo sint. *Fines præsentia & potentia*, fines essentiæ postea seqvuntur, non præcisè hic, aut primario intenduntur tamen: *qvantitatis* autem *fines* plane non habent, cum materia careant, cujus effectus per emanationem est qvantitas. *Qvantitas* vero *intelligibilis* Scaligeriana, & Vorstiana absq; fundamento in re, ens rationis est.

§. 8. *Creati* vocabulum vel *independentis*, qvod alii ponunt, qvamvis *materialiter* cum *finito* sit idem, ut valeat illud: qvod *finitum*, est & creatum, & dependens; sicuti qvod *infinitũ*, est increatum & independes: tamen *formaliter* discrepant, & qvia *creatum* & *dependens* respectiva sunt, effectûs respectum involventia, *finitum*, ut absolutius, absolutæ qvoq; naturæ Angelorum commodius visum.

§. 9. *Completum* pro *differentia* additur ab Anima nostra, *Spiritu incompleto*, qvi cum corpore demum, pars cum parte, speciem rerum complet, ad qvod etiam per naturam ordinata: secus ac Angelus, qvi perse speciem rerum totam absolvit, & pars nullius est.

§. 10. Qvi *ignita natura* eos esse hic annectunt [qvorsum & *Seraphim* nomen referri potest, & ex *Ps. 104.* probari] *Metaphoram*, qvalis illa ab igne denominatio recte *Glassio*(f) censetur, *definitioni* inferunt male: qvi *compositionem ex actu & potentia* addunt, vel *intellectualitatem*, affectiones, ceu *essentialia conseqventia*, cum *essentialibus constituentibus*, ex qvibus definitiones constant, confundunt.

§. 11 Eo ipso autem, qvod *Spiritus* dicuntur, *omnem cor-*

(f) *Phil. S. l. 5, tr. 1. c. 10. p. 1219.*

poream

poream molem ab Angelis excludimus, contradicentes in eo *Platonicis* priscis, *Pythagoreis* & *Porphyrio* non solum; nec non *Judæis* qvibusdam [de qvibus è *R. Manasse Ben Israel* & *Pseudo-Enocho* B.D. *Bangius* (g)] *corpora iis*, certe *secundo & tertio Angelorum gradui ficto*, & corporeos actus: *vesci* naturaliter, *generare* &c. attribuentibus; sed & Patribus Ecclesiæ: *Origeni*, *Tertulliano*, *Justino*, *Lactantio*, *Clementi*, ipsiq; *Augustino*, ut *Lud. Vives* de illo asserit [*h*] &c. qvi vel *ex toto*, vel ex *parte* tamen, *corporeos*, & *animalia rationalia immortalia* dixere. Nec videtur sufficiens esse velum, qvod qvidam cum *Dreyero* [*i*] prætendunt, tanqvam Patres *corporeum* dixerint *reale*, & *phantasmati* saltem opposuerint. Nam *Damascenus* [*k*] Patrum sententiam ipse sic exponit, qvod *qvoad nos* incorporeos & immateriales dixerint: sed in *respectu ad DEUM*, qvi solus incorporeus, crassum aliqvod & materiale habere. At enim non ob respectum, essentia absoluta rei & in se aliter aliterq; habere potest.

§. 12. Nec tamen è *recentioribus* ab hac sententia abstinuere *Zanchius*, (l) *Goclenius* (m) & *Lud. de Dieu*, (n) & qvidam alii Calviniani: *Conradus Vorstius* (o) Socinianus, qvi & ipsi *DEO corpus* attribuit, *Hermianorum & Seleucianorum* Hæresin secutus, libris ejus ob id merito in Anglia combustis: *Hugo Grotius* (p) è *tenui & subtili aura corpus* iis adjudicans; in qvo & qvosdam Pontificiorum *Lombardum*, *Bonaventuram*, *Cajetanum &c.* assertores habet. Qviq; Scepticos hic agunt, ut solent, *Arminiani*, qvos inter Primicerius eorum *Episcopius*, (q) dubitat *an corporei*, vel *incorporei*; & si illud, putat non *aëreos* esse, nec *igneos*, sed *tenuissima corpora*, qvale cœ-

lum

(g) *Cal. Orient. Ex. 1. pag. 74. seq.* (h) *l. 15. de C. D. c. 23.* (i) *Diss. de Angel. §. 20.* (k) *l. 2 de O. F. c. 3.* (l) *part. 1. de Oper. Sext. l. 2. c. 3.* (m) *in Disqvisit. Philos.* (n) *In Ps. 68.* (o) *Exeg. Apolog. p. 27.* (p) *Not. ad Ps. 104. v. 4.* (q) *Instit. Theol. IV. l. sect. 3. c. 2.*

1455.

ſum, illorum domicilium. Ubi & abſurde *æther ac ſydereum cœlum*, vel Calvinianorum fictum *empyreum*, domicilium Angelorũ asſeritur, contra Scripturam, qvæ ἀχειροποίητον pronunciat, *Ebr. IX, 28. Gerb. Joh. Voſſius* (r) qvoq; , cum *nemine ſuper eo ſe diſputaturum* fatetur. Abſurdiores autem longe ſunt *Comenius*, (s) qvi *homines incorporeos* vocat : *Henricus Nollius*, (t) qvi *ſpiritus corporeos* : *Bucanus*, (u) qvi *materiam* illis *ſpiritualem* asſignat, non ſine aperta contradictione.

§. 13. Eqvidem diffiteri non licet, ſæpe in *corpore* apparuisſe, ſive *glaucoma* fuerit, ab Angelo malo objectum : ſive *verum corpus ex aëre, aut vaporibus conflatum*, ut in illud facile & disſolvi potuerint, & evaneſcere : ſed nulla hic *unio hypoſtatica* & *per ſe*, ut inde Angelus *homo*, vel *corporeus* dici potuerit ; ſed ſaltem paraſtatica & per *accidens* fuit. B. Lutherus *formalem*, qvod in asſumpta forma facta ; alii ſymbolicam, & œconomicam, & accidentalem vocant. Et in tali *forma* etiam *depingi* poſſe in *Synodo Nycæna II*, decretum, *corporalitate* tamen non ideò aſſerta. Conferri poteſt *Angelophania D. Georg. Lehmanni*.

§ 14. Porro qvod *finitum* diximus *Angelum*, in eo ſubjecimus DEO, veræ ejus *efficienti* & *Creatori*, aut *Opifici*, qvod & ipſum ex natura, qvamvis *confuſe* & *generatim* conſtat. Non ergo *creatores* fuere contra *Platonicos*, ipſum ſuum Magiſtrum hic deſerentes, nec non *Sim. Magum, Cerinthum, Carpocratem, Saturninum, Menandrianos, Archonticos* : aut in *conſilium creationis* à DEO, per verba : *faciamus hominem* : adhibiti, contra *Photinianos* : nec DEO coæterni, contra *Manichæos & Angelicos* : multo minus *ejusdem cum DEO esſentiæ*, aut ejus *pars*, vel illi *æqvales*, contra *Weigelianos*. DEUS *infinitus* eſt : Angeli *finiti* in esſentia, & potentia, & præſentia.

Unde

(r) *l. 1. c. 6. de Idolol.* (s) *Syn. Phyſ. c. 12.* (t) *Phyſ. Herm. l. 3. c. 2.* (u) *loc. VI. qv. 3.*

Unde nec *creare* potuerunt, qvod est *absoluta potentiæ:* nec *miracula* facere, qvamvis *miranda* qvædam : nec essentias rerum mutare [*Homines* forte in *lupos*, qvæ merè præstigiæ sunt]cum & ipsi non *geniti* qvidem ex DEO,& matre sapientia, φρονήσεως & σοφίας, contra *Basilidianos* & *Gnosticos:* nec ex *tenebrarũ concupiscentia* producti, contra *Nicolaitas ;* sed verè *conditi* in DEI ministerium & gloriam sint. Non tamen *ante Hexaeme-rum*, contra *Socinianos Vorstium*, *Schmaltzium*, *Volkelium*, *Crellium*,& *Simon. Episcopium*,&,ut qvidã censent,etiam *Nazi-anzenum ;* Ubi *ante Hexaëmerum* mera æternitas est : nec *post Hexaemerum*, contra *Achatium & Gennadium*, qvos *Augustinus* (w) refutat : sed *in Hexaëmero*. De die placent verba *Ambrosii : Libenter nesciamus, qvod scire nec debemus, nec possumus.*

§. 15. Qvod tandem *completum* diximus, vel hac parte aliqvam ipsis prærogativam præ *anima nostra*, *spiritu incompleto*, attribuimus. Secus ac qvi statuunt, animam vel Angelis esse *æqvalem*, ab iisq́; *numero* saltem differre, cum *Origine :* vel, qvia & Christus eam assumpsit [qvod tamen non *naturæ*, sed *gratiæ*] Angelis *majorẽ*, qvi error Greg. Veneto tribuitur.

CAP. III.

DE AFFECTIONIBUS.

§. I.

ESsentiam *constitutam* [qvamvis per omnia *ex natura*, qvod toties monitum, asseqvi non liceat, & conceptus adeò de *Angelo*, non *qvidditativus*, sed saltem *qvidditatis* sit] seqvuntur *essentialia conseqventia*, sive *affectiones*, illæq́; partim *communes* omnibꝰ spiritibꝰ, partim *propriæ Angelis*. Utræq́; partim *negativæ*, partim *affirmativæ*. *Communes* sunt *immutabilitas*, *incorruptibilitas & immortalitas*, *indivisibilitas*, *illocalitas*, *intẽporalitas*, *immobilitas*, *invisibilitas ;* Et *positivæ* illæ : *Simplicitas*, *intellectu-alitas*,

(w) l. XI. de C. D. c. 9.

1457.

alitas, voluntas & *Arbitrii libertas, potentia, perennitas, ubietas. Propria* sunt: *Simplicitas* & *incorruptibilitas respectiva, intellectus finitus & suo modo perfectus, voluntas & voluntatis libertas debita, nec non duratio & ubietas Angelica.*

§. 2. Omnes istæ *affectiones* tàm *communes*, qvam *propria Angelis* suo modo, illæ *respectivè & limitate*: *hæ absolutè* conveniunt. *Immutabiles* sunt *essentialiter & per se*: qvamvis omnino *mutabiles* sint *accidentaliter*, dum incrementum *scientia naturalis & concreata*, qvam habent, vel ex *revelatione*, vel *experientia* capiunt. Sic & *immutabiles* sunt *internê & naturaliter*: qvamvis *externè & supernaturaliter* omninò à DEO mutari, & per *absolutam ejus potentiam*, cum omnibus creaturis, vel in pristinum nihilum redigi qveant.

§. 3. Idem de *incorruptibilitate* sentiendum & *immortalitate*, ut qvæ ex *immutabilitate* seqvuntur. *Incorruptibiles* sunt *per naturam*, qvamvis dependenter à DEO, ejusq; beneficio; *Internè*, dum principia corruptionis interna non habent; & *immediate*, ut mediis conservantibus non indigeant: non autem *simpliciter & absolute*, cum per divinam potentiam destrui possint. Ita solus DEUS habet immortalitatem *1. Tim. VI. 16. Plutarchi, Pselli, Gentiliumq;* præterea nonnullorum, ut & *Menasse Ben Israel*, Judæi Amstelodami, aliorumq; *Thalmudistarum & Cabalistarum, Pseudo-Enochi* de *mortalitate Angelorum*, judicia erronea sunt. Vid. de his, præter cæteros, *Th. Bangius.*(a)

§. 4. Ubi Patres: *Damascenus, Augustinus, Cyrillus*, etiam in sexta Synodo Gener. Actione 11. non *naturâ*, sed *gratiâ* esse *immortales* dixere, illud voluerunt, qvod non *à natura* hoc habeant, qvamvis maximè *in natura*, & *per naturam*, sed *à DEO*: nec ullo merito suo, sed DEI gratia & benignitate. Ex adverso errant, qvi, cum *Goclenio & Timplero*, Angelos esse *immortales* per *naturam* infitiantur: vel qvi cum *Vasqvezio* & aliis corruptibiles esse *interne & naturaliter* statuunt.

(a) *Cœl. Orient. Ex. 1. p. 74. 81. seq.*

§. 5. *Indivisibilitas*, ut simplicitatis formale est, pariter ac *divisibilitas* compositi, *indivisio* autem unius: ita & inferius cum simplicitate expedienda est. Certum interim, *Angelos*, cum *corpora* non sint, ut supra evictum, nec physicè in materiam & formam posse dividi, aut in partes integrales.

§. 6. Unde error est *Avicebroni* & plerisq; *Scholasticis* tributus, *Angelos constare vera materia corporum & forma*: vel *materia & forma spiritualibus*, & à nostra diversis, qvod *Alexandro Alensi*, *Bona-Venturæ* & *Richardo* imputatur; vel *posse* tamen *constare materia & forma*, qvod *Stephano de Bubalis*, *Cardinali de Lugo*, & *Arriagæ D. J. A. Osiander* (b) assignat.

§. 7. *Illocalitas* indivisibilitatem corpoream & physicam seqvitur. Ubi nulla materia, ibi nec qvantitas, nec *localitas*. In *ubi* sunt, & qvidem *definitivo*, *Angeli*, ac impartibiliter ibi; toti in toto, qvà essentiam, & toti in qvalibet parte; pariter ac Anima nostra in corpore: *In loco* autem non sunt. Multo latius *Ubi*, qvàm *locus* patet. *Cum loco* sunt, aut *loco adsunt*, & illi *coëxistunt*, qvoties alicubi sunt, qvod est *locus*; siqvidem *in loco* esse & spatium extensum reqvirit, & actualem ab illo, ac qvantitativam commensurationem. Nec *locum* mutant, qvoties abeunt, sed *ubi* suum: nec per nudam operationem possunt dici in *ubi* esse, contra qvosdam *Scholasticos & Wittichium Cartesianum*; cum ubietas existentiæ etiam qviescentis affectio sit: qvamvis alias operationes in *distans* nemo neget.

§. 8. Errant qvidam *Pontificii* & *Calviniani*, qvi cum *Scoto locum Angelis* propriè dictum asserunt. Ut &, qvi in *pluribus locis* posse existere opinantur. *Patres*, qvi cum *Damasceno* (c) de *loco DEI & Angelorum* disputant, *impropriè* & *æqvivoce* loqvuntur: qvorsum & discrimen *loci* ex eodem *Damasceno* (d) facit, in *locum Physicum & Metaphysicum*, qvi nihil aliud, qvam *Ubi*.

(b) *Th. Posit. Pol. Ex. 33. p. 167.* (c) *l. 1. de O. F. c. 17. 18.* (d) *l. c. c. 16.*

§. 9. *Intemporalitas* illocalitatem merito excipit. Per negationem qvippè *qvantitatis continuæ in loco Angeli* non sunt; per negationem *qvantitatis discretæ & successionis* non sunt in *tempore*, scil. *Physico*, qvod initium habet & finem. *Tempus Metaphysicum* duratio est, qvæ & Angelis competit, & sic entitativè ac metaphysicè durant, non in *æternitate*, qvæ DEO soli apta, & principio ac fine caret, [contra illos qvi creationem *Angelis* passivam negant, & per conseqvens *æternos* statuunt, de qvibus cap. priori §. 14.] nec in *tempore*, qvod *corporum*: sed in *Ævo*, cujus principium qvidem, sed nullus finis.

§. 10. *Immobilitas physica* intemporalitati succedit. *Physicè* qvod *movetur*, movetur in tempore: sed cum *tempus* non agnoscant spiritus finiti, nec *successivum* (per præsens, præteritum & futurum) motum admittunt, sed in *instanti* magna celeritate, *motuq́; analogico* & spiritibus proprio (undè & *alæ* ipsis in Scriptura per tropum assignantur) transeunt. Non possunt simul vel *ubiq;*, contra *Weigelianos*, ex falso de æqvalitate cum DEO principio; vel in *pluribus ubi* esse, contra *Cartesianos*, in his *Wittichium*, (e) & qvosdam *Scholasticos* cum suis πȣ inadæqvatis, dis-continuis, sed facillimè unum *ubi* mutare cum alio; cum nec corporũ eos gravitas, qvâ carent, nec mediũ moretur. Ut errent *Spanheimius* & *Maresius* Calviniani, qvi successionem Angelorum in *motu* agnoscunt: *Crusius* qvoq́; *Heerebrodius*, *Goclenius*, *Zeisoldus*, qvi in corporibꝰ assumptis moveri *localiter per accidens*. Nam sic & *divisibiles* essent in corporibus assumptis, vel & in ἐνεȣγȣμένοις *per accidens*; *materiales per accidens*; corpora per accidens, & tandem non-Angeli per accidens. *Corpora* moventur assumpta *localiter*: sed non spiritus, saltẽ planè *per accidens* cum iis *unitus*, ut propria ejus non participet. *Coëxistit corpori assumpto*, qvod est & movetur

(c) *l. 1. de O. F. C. 17. 18.* (d) *l. c. c. 16.* (e) *Vid. D.* Joh. Osiandr. *Colleg. Anti Cartes. cap. X. p. 129. seq.*

movetur in tempore, imò qvod ipse movet, inq; præsentia sua ad corpus assumptũ manet immobilis. Conf. *Dn. Meierus* (*f*)

§. 11. *Invisibilitas* est, qvâ sub creati oculi & naturalis sensum Angeli non cadunt. Cum omnia qvæ subeunt visum, vel *lucida* sint, vel *colorata*, qvod utrumq; in spiritibus illis deest. *Lux*, qvæ illos ambit, divina, *Luc. II. 9.* & cœlestis est. Videntur & *oculis Beatorum* & *supernaturaliter glorificatis*. Oculis aliqvando & *naturalibus* visi, sed elevatis & clarificatis; plerumq; non sine *schemate* & *symbolo*: qvemadmodum & in *corporibus assumptis* se sistunt.

§. 12. *Negativæ* fuere *Affectiones*, sed *negativæ* qvà *vocem* saltem, cum commodius nomen non succurrat, & *formam externam*, sivè *sonum*; non qvà *rem*, sivè *formam internam* & *sensum*. Positivæ rei positivæ etiam sunt Affectiones, *qvà rem*, non semper *qvà vocem*. Sed qvæ in specie positivæ dicuntur, tales & *formaliter* & *materialiter*, qvà *sonum* & *sensum*, qvà *rem*, & *vocem* sunt.

§. 13. Has inter est *simplicitas*, non *absoluta*, qvæ solius DEI simplicissimè simplicis: sed *respectiva*, *compositionem* non omnem, non *Logicam*, ex Genere & Differentia, cum in Prædicamento Angelus sit: non *Metaphysicam*, ex Subjecto & Accidente; Potentia passiva & actu; essentia & supposito: sed *physicam* ex partibus essentialibus, Materia & Forma, vel integralibus sivè qvantitativis excludens; cum illa non nisi in corporibus habeant locum.

§. 14. *Intellectualitas* (qvæ non ipsa *Angeli essentia*, ut qvidem in DEO, contra *Cartesianos*, in his *Wittichium*, (*g*) qvi & exercitum Sennacheribi & primogenitos Ægypti &c. solo *intellectu* disipata censet: alii inter *intellectuale* & *intelligens* necqvidqvam distingvunt] accidens est, & qvalitas Angelorum finita,

 ut

(f) *Disp. Pneum. 6. Probl. 2. & Disp. 18. Probl. 5. §. 2.* (g) *Vid.* D. J. Osiand, *Colleg. Anti-Cartes. cap. X. th. 1. p. 188.* & Hartnacc. *Contin. Syst. Micræl. Eccles. p. 1256.*

1461.

ut & ipsi finiti, ignorantiam puræ negationis [in Angelis malis etiam pravæ dispositionis] diei pantocritici Marc. XIII. 32. præter multa alia admittens. Et qvamvis *cognitio Angelorum* sit partim *naturalis*; eademq; vel ἔμφυτ@ seu innata, vel ἐπίκτητ@ seu acqvisita, ut cum per naturalem discursum qvædam colligunt &c. vel *interna* & *immanens*, dum se cognoscunt; vel *transiens & externa*, dum alia extra se: partim *revelata*, & partim *experimentalis:* tamen nec *immediatè* per essentiam cognoscunt, vel merè intuitivè omnia, ut Deus: sed nulla non mediante potentia intelligendi; nonnulla *extra se & DEUM*, per species intelligibiles, sive concreatas, sive acqvisitas, ac modo nunc *simpliciter apprehensivo*; ut nostra anima qvoq; (ex cujus ratione de Angelorum qvoq; notitia, qvamvis sublimiori, judicium per naturam facimus) simpliciter multa & apprehendit, & comprehendit; nunc *analogicè composito & discursivo*, rem cum re, conceptum cum conceptu componendo: nunc à *priori*, ut necessaria; nunc à *posteriori*, ut merè fortuita, qvà talia: nunc *directè*, nunc *indirectè* : *mediatè*, per mediationem objecti, vel *immediatè:* nunc *necessario*, nunc saltem *probabiliter* : nunc *distinctè & perfectè*, per modũ habitûs, nunc *imperfectê* & qvasi confuse. Conf. c. seq.

§. 15. Error est *Thomistarum*, *discursum* simpliciter; & *Scotistarum*, *species intelligibiles* negantium [de qvibus vid. Dn. Meier,(*h*) & B.D. Qvensted.(*i*)] ut & *Pontificiorum* passim, qvi in Deo, tanqvam in *speculo* Angelos cognoscere omnia comminiscuntur: vel *in se ipsis & natura sua*, qvam cognitionem *Augustinus vespertinam* vocat; ut matutinam, cum in DEO cognoscunt creaturas, ipsas etiam hominum, qvi error *Hervæi*, *Durandi (k)* aliorumq; nonnullorum *Scholasticorum* est, cogitationes: in qvo plurima absurda, omniscientia DEI communicata

(h) *Pneum. Disp. XIIX probl. 3. 1.* (i) *Syst. Th. p. cap. XI. Sect. 2. qv. 3.*
(k) *l. 4. de Gen. ad lit. c. 22. & l. XI. C. D. c. 29.*

nicata Angelis, & Angelolatria idololatrica consеqventer involvuntur.

§. 16. *Voluntas* individua comes *intellectualitatis* est; cum nihil volitum, qvin præcognitum sit: sed realiter tamen ab hac, ut & ipsa essentia Angeli, per modum accidentis realis, distincta (contra Scotistas) qvà appetunt Angeli, appetitu non *sensitivo*, sed *intellectivo*, eoq; vel appetitu *concupiscentiæ*, vel *complacentiæ* & benevolentiæ, bonum sive *verum*, sive, respectu malorum Angelorum, saltem *apparens*: aversantur *malum*, item sive *verum*, sive *apparens*. Unde & *mali* actu qvidem sui conservationem appetunt, sed simul DEI, Angelorum & hominum piorum, ceu hostium, damna & interitum intendunt ac optant, prouti *voluntas* eorum post lapsum est pravissima. De qvo plura Cap. seq.

§. 17. Ab *intellectu libero & voluntate arbitrii libertas est*, qva *liberè* cogitata, etiam *liberè* approbant & agunt. Excluditur hinc in actionibus voluntatis *coactio* (qvamvis *voluntas* Diaboli sæpè qvà *actum imperatum*; ut excedendi è cœlo, ex obsessis &c. *coacta* sit) qvà *actum elicitum* locum in voluntate non habens. Excluditur & *necessitas naturalis* (non *moralis* legum & imperii divini, qvæ stare potest cum *libertate*, ut solum hinc à *licentia* discrepet) qvà, oblato objectô *externô* (se ipsos enim Angeli *necessario* amant) possunt indeterminatè agere, vel non agere. Conf. Cap. seq.

§. 18. *Potentia* exseqvitur ab intellectu & voluntate destinata, ideoq; in præsenti non tàm *passiva*, qvàm *activa* intelligenda est. Et magna qvidem illa Angelorum, qvæq; humanam omnem multum excedat, *finita* tamen, prout ipsi finiti sunt: *limitata*, non *absoluta*, ut non omnia possint, qvæ volunt, sed qvæ licent, qvæq; *jubentur* facere à DEO, cujus servi sunt: vel, ex justo Judicio, aut occultis causis, facere *permittuntur*, Matth. VIII. 31. Luc. IIX. 28. Estq; vel *naturalis* illa *potentia*,

vel

14 63.

vel etiam à Deo *supernaturaliter addita*, qvi ſicuti ſcientiam eorum augere poteſt, ita & potentiam. Pariter & *gradualiter* diverſam inter Angelos *potentiam* eſſe, planè veriſimile eſt, & Beelzebub cæteris prævalere, Luc. XI. 15. ſeq. Sicut & *boni Angeli* arcere *malos* poſſunt & pellere, *divina virtute*.

§. 19. Interim & *pasſiva potentia Angelis* convenit, atq; ex illa & actu entitativo metaphyſicè componuntur, de qvo §. 13. Poſſunt qvippe pati, & reapſe patiuntur, partim *perfectivè*, ut Angeli boni, dum ſcientia eorum per revelationem Dei augetur (de qvo §. 14.) partim *corruptivè*, ut Angeli mali, non qvidem *totaliter*, & deſtructivè (vermis qvippe eorum non morietur, nec extingvetur ignis Eſa. LXVI. 24.) ſed *partialiter*, & afflictivè Matth. XXV. 41. ut crucientur in inferno Ep. Jud. 6. Matth. VIII. 29. Luc. VIII. 28. non tàm ibi *tortores*, qvàm ipſi *torqvendi*, imò, ſi B. *D. Meyfarti* (l) & aliorum conjectura conſtat, *præ ipſis hominibus*; cum hi ſint *ſeducti*, illi *ſeductores*. Conf. B. *D. Danbawerus*, (m) *D. Luc. Oſiander*, (n) *D. Gerhardus*: (o) ſed & adde B. *D. Joh. Olearium*, (p) qvam ſuo modo damnatos *ſarcaſmis* (addo, *horribili aſpectu*, ſicuti viſio Dei Beatos reficit, & ipſa vita æterna formaliter eſt) *torturi ſint*.

§. 20. De *perennitate* & *ubietate* dictum ante (§. 7. ſeq.) qvod illa *ævum* ſit, finem non admittens, ut qvidem initium: hæc *definitiva*, qvalis & animæ noſtræ, *Scaligero, qvà asſignationem* dicta; non *repletiva* Dei, nec *circumſcriptiva* corporum. Qvam, etiamſi *alicubi ſint, qvod eſt locus*, vel *uniantur qvoq; cum aliqvo*, ſive per *modum formæ asſiſtentis*, in corporibus aſſumptis; ſivè per *modum informantis*, ut in ἐνεϱγουμένοις: tamen propterea cum illo corpore, qvod eſt *in loco & tempore*,

ipſi

(l) In Höllischen Sodoma *l. 2. c. XI. p. 189.* (m) *Hodoſoph. p. 257. & 1002.* (n) *Comment. ad. Matth. XVIII. 34.* (o) *L. C. Tom. 9. loc. 33.* (p) Geiſtl. Handbuch *Art. 141. p. 1876.*

ipsi *Angeli in loco & tempore, sivè per se, sivè per accidens* non sint, in §. 7 & 10. evictum: *adesse* autem *loco & existere cum loco*, vel *esse in aliquo, quod est in loco*; it. *agere cum tempore*, vel *coëxistere tempori* dici accuratius posse.

§. 21. Sic & *propriæ Affectiones*, qvæ dictæ, cum sub *communibus*, restringendo illas ad *Angelos* expeditæ sint: utpote qvod *simplicitas respectiva* (§. 5. & 13.) *incorruptibilitas* qvoq; talis (§. 3. seq. *Intellectus finitus* (§. 14.) *Voluntas & arbitrii libertas* iis debita (§. 16. 17.) *Duratio* qvoq; *æviterna & ubietas definitiva* (§. 7. sqq.) pensitata, non operæ pretium est, denuò illa & seorsim tradere.

§. 22. Addunt alii *numerum, & diversitatem*. Sed cum *numerus qvantitativus* in Angelis, qvantitatis expertibus, non habeat locum, (utut *Aristoteles* illum, pro falsa hypothesi de motu orbium cœlestium, nimis coarctârit ad 55. vel 77. Angelos: pariter ac *Basilidiani* ad 365. Angelos, pro numero cœlorum, qvos singuli sc. condiderint, ita ut caput eorum *Abraxas*, ut *Salmasius* legit *Abrasax*, de qvo copiosè *Joh. Macarius*, (q) & Commentator ejus *Joh. Chiffletius*, tradidere: sed *metaphysicus*, non commodius, qvàm sub *diversitate Angelorum*, qvæ qvà essentiam *numerica* est, *Cap. ult.* erit agendum.

CAP. IV.

DE OPERATIONIBUS ANGELORUM.

§. 1.

POst *existentiam & essentiam*, nec non *Affectiones*, seqvuntur, ceu momentum naturæ tertium, *Operationes*. Qvæ ut non *immediatè* ab essentia proficiscuntur (cum nullum creatum sit immediatum actionum suarum principium) sed mediantibus qvalitatibus & Affectionibus activis; ut *Intellectio* mediante *intellectu* &c. ita & *essentiam & qvalitates* hâc parte seqvuntur, ut, cum illa finita sint, etiam *operationes* sint finitæ, nec omnia agere spiritus illi qveant, qvæ volunt. *A velle ad posse*, imò â *velle ad facere*, in DEO conseqventia valet, (qvamvis non *à posse ad velle*, aut â *velle ad facere*) in creaturis non item; cum illarum voluntas & facultas DEO subjectæ sint.

§. 2. Qvæcunq; ergò captum *finitæ & subordinatæ potentiæ* excedunt, &, vel DEO propria sunt; vel alias factibilitatis, ut Scho-

 lastici

(q) *l. Abraxas, seu Apistopistus, Edit. Antwerp. 1657.*

1465.

lastici loqvuntur, rationem non habent, nec *Angelis* attribuenda sunt. *B. D. Balduinus*, (a) qvem alii deinceps seqvuntur, *XII. casus excipit*, qvos præstare Angeli *principaliter & per se* neqveant; sed Dei qvasi *reservata* sint. I. *Novas producere creaturas*. Creare qvippè est infinitæ potentiæ Dei opus, à qvo septimo die qvievit. Magi Ægyptiaci *adduxerunt* aliundè serpentes & ranas, Ex. VIII. non *produxerunt*, & alioqvin agnoverunt digitum Dei. Corpora cum assumunt, non *producunt* novas creaturas, sed ex jàm productis *sumunt*, illisq; imprimunt formam accidentalem externam hujus corporis, vel illius.

§. 3. Nec II. *creaturas multiplicare possunt. Conservationis* hoc divinæ est, qvæ cum *creatione* materialiter unus actus continuus. In generabilibus *multiplicatio* fit mediante generatione; qvæ actio materialis est, & ideò ab Angelis immediatè & per se non speranda. Si bona suorum auget Dæmon, non *multiplicatio* rei ipsius est, sed rapti aliunde additio.

§. 4. *Creaturas* III. *mutare & transformare in aliam speciem non valent*. In *Ancyrano* hoc Concilio damnatum. Ut enim condidit Deus *species* rerum, ita & conservat. *Lycanthropia* (in lupos) Livonica & Borussica &c. *Ælurantbropia* (in feles) & id genus alia, Dæmonis præstigiæ sunt, qvibus decipit vel Sagas altè soporatas, & ipse interim has partes obit: vel spectantes, cum sagas sub ista imagine repræsentat. *Nebucadnezaris* exemplum, Dan. IV. (qvò *Bodinus* (b) frustra, & *uxorem Lothi* provocat) divinæ erat potentiæ opus: nec *substantialis* ibi, *speciei* in *speciem*; sed *accidentalis*, sani in insanum mutatio. *Lothi uxor* Gen. XIX. itidem per Dei omnipotentiam, qvæ & ê lapidibus Abrahamo sobolem excitare potest, & ex omnibus omnia facere, in lapideum salem mutata *quà corpus*, ubi, morte interveniente, *anima* interim, qvæ *speciem* propriè constituit, servata.

§. 5. Nec IV. *mortuos resuscitare possunt*. Cum hoc merè supernaturale sit. Unde nec *animas viventium eripere per* ἔκστασιν, *& aliò transferre, ac vicissim redunire* sustinent; qvoniam illud mortis, hoc resurrectionis est species. Ἔκστασις qvoq; non *nisi ligamen sensuum est & facultatis animalis eorum, cum singulari illuminatione conjunctum*.

(a) *l. 3. Cas. Consc. cap. 2 Cas. 4.* (b) *l. 2. Dæmonol. c. 7. p. 250.*

ctum. Παλιγγενεσία *Chymicorum*, & ipse *Pseudo-Homo Paracelsisticus*, qvod in vocabulo suo audit, *regenerationis* qvasi, non *resuscitationis* argumentum est, nec nisi *umbratilum* qvid & *ideale* reducitur: ubi *resurrectio*, opus solius Dei, est corporis numero ejusdem realis resumptio, & cum anima reunitio. (c)

§. 6. *Morbos* V. *sine medicamentis tollere non valent:* nisi qvos ipsi, permittente Deo, intulere; si & tales sunt, ut, aufferendo vim nocivam, curari qveant; non, si qvid jam fractum, aut plane corruptum. Curatrix secundum Deum natura & calidum innatum est, qvod certis remediis, ceu instrumentis, ê statu præternaturali in naturalem corpus reponit.

§. 7. Ut neq; VI. *possunt uterum maternum claudere, vel recludere.* Dei qvippè illud negotium esse, Psalmista confitetur, Psal. CXIII. 9. & *Hebræi* qvatuor Deo *claves* assignant: *cœli*, in pluviam; *uteri* ad genituram; *terræ*, ad escam; *sepulchri*, ad vitam.

§. 8. Æqvè ac VII. *cursum solis inhibere Angelorum non est.* Deum hoc præstitisse novimus Jos. X. 2. Reg. XX. Sed qvidqvid Poëtæ canunt: *vel cœlo possunt deducere Lunam;* aut lusus poëticus, aut Dæmoniaca illusio est *Cursus naturæ* necessarius non ita ab Angelis interpellatur: & secundæ causæ à prima, producente & conservante, non aliundè dependent. Putat qvidem *B. D. Jac. Martini,* (a) *posse Angelum relictum sibi totum mundi ordinem pervertere, & loco suo movere.* Sed nec ita relictus est sibi, & *conservationem* Dei hoc interrumperet, cujus objectum tamen ipsi Angeli in se sunt.

§. 9. Eodem pertinet IIX. *mare & aqvas dividere, ac innoxium iter præstare posse,* ut in mari rubro Ex. XIV. & Jordane Jos. IV. divinitus factum. Pulchre de eo *Phil. Melanchton:*

Ille potest solis currus inhibere volantes:
Ille velut scopulos flumina stare jubet.

§. 10. Neq; IX. *futura nôsse iis contigit,* nempè merè *contingentia* & *fortuita,* nisi qvatenus signa certa præcedunt, aut divinæ prædictiones. Refer eo 1. Sam XXVIII. 19. Idem X. *de cogitationibus hominum* valet, nisi qvas ipsi subjecere, vel documentis

 qvibus-

(c) *Conf. Joh. Andr. Shmidii, Disp. de* παλιγγενεσία
(d) *Ex. Metaph. lib. 2. th. 10. & contra Becan. Disp. 14. p. 103.*

14 67.

qvibusdam ſunt prodita. Cumqve *executio* tamen voluntaria maneat, manet & *conjecturalis* ſaltem, *confuſa & incerta* notitia.

§. 11. Ad hæc XI. *nec elementorum qvalitates tollere poſſunt, aut ſuſpendere.* Qvalitates enim iſtæ ſunt *propria*, qvæ per naturam inſeparabiles à ſubjectis *Suſpenſio* qvoq; eſt inhibitio actus, qvi, poſitis omnibus ad agendum reqviſitis, neceſſariò ſit. Poſſunt ergò Angeli, permittente Deo, vel objectum ſubtrahere, vel intercedere ipſi, aut qvid aliud interponere, ne elementa tangant objectũ. Sic Diabolus ſagas qvandoq; ab hac, vel illa *pœna* liberat: qvosdam & *invulnerabiles* reddit vel avertendo ictus, vel retundendo, (e) præcedente *pacto* vel *implicitè* vel *explicitè*; vel *immediato* vel *mediato*. Solus Deus autem ipſum actum, poſitis etiam omnibus reqviſitis, poteſt ſuſpendere: qvin & qvalitates tollere per *potentiã abſolutã*.

§. 12. *Omnia* tandem & XII. *mira edere negatum iis, qvæ DEO Scriptura tribuit. Miracula* planè non edere poſſunt, cum ſint ſupra naturam, niſi inſtrumentaliter & jubente id Deo, ſicuti & ſancti *miracula* patrârunt: ita tamen ut non potentiam *activam* eò conferant, ſed ſaltem *paſſivam* & *obedientialem*. *Mirabilia* autem vel *miranda* & *mira*, ſivè in ſe talia, ſive reſpectu ſaltem noſtri, facere qveunt: non autem & ſic talia, qvæ eorum potentiam excedant. Ut, qvod *Noah in diluvio ſervatus, Jonas in ceto: qvod Enoch & Elias in cœlum evecti: qvod DEUS homo factus: qvod corpora ſanctorum in altero die glorificanda*. Qvæ B. *Balduini* l. c. exempla ſunt.

§. 13. Nos ut diſtinctè, qvamvis per compendium, incedamus, *opera Angelorum* partim *interna* dicimus, partim *externa*. Illa *immanentia* vocantur: hæc *tranſeuntia*, non à *principio*, qvod & in *tranſeuntibus internum*, ſed à *ſubjecto* recipiente & *termino* appellatione petita, qvi illic ipſe *Angelus*, hic aliud extra illum eſt. Sic & *opera* qvædam *in aſtans* ſunt, qvædam in *diſtans*: qvædam *merè voluntaria*, qvædam *imperata*: qvædam *communia* cum aliis, qvædam *propria*.

§. 14. Ex *internis intellectio* eſt, operatio ab intellectu immediatè producta, qvâ Angeli non qvidem omnia ſimul & intimè, qvod omniſcientiæ divinæ; at plurima tamen ſucceſſivè, nunc hoc, nunc alio modo cognoſcunt. Deum per naturam, etiam, qvà bonos Angelos, non malos, *intuitivè* Matth. XIIX. intelligendo

(e) *Vid.* Schottus, *Phyſ. curior. l. 1. c. 28.*

gendo *apprehendunt*, non *comprehendunt*. *Invicem* qvoq; & *Beatos* nôrunt, per species intelligibiles, intellectui approximatos. Sic & *res naturales* exactè cognitas habent, longaq; experientia scientiam istam, etiam rerum nobis occultissimarum, firmârunt. Unde *B. Luthero Diabolus* maximus *empyricus* dicitur. *Futura* autem, nisi *necessaria* sint; tum enim in necessariis caussis *necessario* & *à priori* cognoscunt; tantum *à posteriori*, & ubi evenere, certò sciunt, si nempè *merè contingentia & fortuita* sint. Ex *signis* tamen, si qva præcessere, probabiliter qvid colligunt: ex *prædictionibus* verò divinis, aut *revelatione* certius qvid infallibiliusq;.

§. 15. Idem de *voluntate DEI & cogitationibus hominum* sentiendum, cum in arbitrio posita & contingentia sint. *Voluntatem DEI* ignorant, nisi reveletur. Prouti *voluntatem gratiosam & judiciariam* revelat bonis Angelis, malis *judiciariam tantum*. Carnifices enim qvasi ejus sunt, cumq; se ultrò ad id servitium offerant, non tàm *commissione*, qvàm saltem *permissione* est opus. Conf. Job. I. & 1. Reg. XXII. 21. seqq. De *cogitationibus hominum* sentiendum, ignorare illas, cum solus DEUS sit καρδιογνώστης, à priori & immediatè, nisi ipsi ingesserint: vel *gestu*, alioq; *signo* se prodant, & tùm adhuc *conjecturaliter* saltem nôsse, ob impedimentum qvod objici actioni potest. Conf. §. 14. Cap. prior. & § 10. h. l.

§. 16. Inde autem non mirum, cum Angelorum intellectus nostrum multũ superet; qvamvis vicissim, post lapsum, *Angelorum bonorum* intellectus superet *malorum*, inprimis qvà *mysteria* (Conf. Eph. III. 10. & 1. Corinth. II. 8. *Spiritus familiares*, qvi ipsi Diaboli sunt, sive in *annulo*, vel *theca*, vel *vitro* (in qvo *Petrus de Apono septem* ipsos conclusos habuit, pro septem artibus liberalibus) vel sub *canis, ut Corn. Agrippa & Joh. Faustus*, vel *Felis &c.* specie foveantur, scientiam qvandam majorem addictis sibi, seu per *pactum explicitum*, *seu implicitum*; utpote *emptione, vel donatione*, contractum, posse subjicere, & qvasi insusurrare, lingvamq; ipsam regere, si idiotæ sint, qvi & se in isto negotio magis habent passivè. A qvo tamen crimine per *Thyræum*, *Forerum* & alios Papicolas *B. Luthero* objecto, ipse eum Reformatus *Gisbertus Voëtius* (f) vindicavit.

§. 17. *Volitio*, est actus secundus à *voluntate immediatè & instrumen-*

(f) *P. 1. Select. Disp.* Conf. *Disp.* Clodii *Witeb. hab. A. 1674.* & Stockharti *Lipsiæ A. 1679.* de Spiritu Familiari.

14 69.

strumentaliter; ab ipsa *essentia* Angeli *mediatè & principaliter* productus, qvà agunt liberè *Angeli boni* bonum, & non malum: *mali* autem malum, & non bonum. Habent ergò utriq; *libertatem* qvidem *contradictionis* in agendo, vel non agendo, oblato eodem objecto: habent etiam *libertatem contrarietatis subjectivæ*, cum possint, oblatis *duobus bonis*, *Angeli* boni per se hoc agere, illud omittere; non excluso interim *imperio divinô*, qvod libero actu implent, ceu *necessarium moraliter*: (Conf. §. 16. cap. prior.) sicut *Angeli mali* in duobus objectis malis, non exclusa hic iterum *vi prohibendi divinâ* qvà actum imperatum. Interim libertas contrarietatis objectivæ (ut ante qvidem *in statu instituto*) hodiè non datur, sicut à parte *bonorum*, qvà *malum*, qvod agere nunqvam possunt. (Job. IV. 18. *comparatè* & respectivè ad Deum intelligatur) contra *Originem & Arminianos*, confirmati adeò in bono, non ex *meritô*, contra eosdem, sed ex *gratia*: Ita à parte *malorum*, qvà *bonum*, qvod nunqvam agunt, aut agere volunt, omnis boni *moralis & spiritualis* penitus expertes, Joh. VIII. 44. Unde nec *veritatem* unqvam loqvuntur subjectivam & *Ethicam* qvamvis nonnunqvam *objectivam & Logicam*. Nec malitia eorum satis concipi à nobis, vel describi potest, ut *B. Lutherus* (g) rectè censet, qvæ tamen *Becanum* Patronum invenit, ut aliqvem Diabolo *DEI amorem* attribueret, à *Jac. Martini* (h) ob id refutatum.

§ 18. *Motio, qvà se ipsos movent actu Angeli*, à facultate motrice immediatè oritur, atq; nihil aliud est qvam *variatio ubi*, qvâ Angelus non *physicè & successivè*, sed *angelicè* & in *instanti* (*B. Scharffius* (i) *lumini* comparat, se facile diffundenti) nec medium morando transfertur & vel janvis clausis intrare potest. Conf. Act. XII. 7. sqq. ut & cap. priori §. 10. Et sic fuerunt ita *opera interna*: seqvuntur *externa seu transeuntia*, qvæ qvamvis varia variaq;, tamen potissima, qvæq; ex *natura* qvoq; aliqvam partem constant, hic afferenda, sunt 1. *Ministerium DEI*. 2. *Loqvela*. 3. *Motio alieni corporis* 4. *Variarum rerum productio*. 4. *Corporis assumptio*.

§. 19. Ad *ministerium* Dei omnes *Angeli* conditi sunt, pariter ac omnes creaturæ Deo servire tenentur. Sed *ministerium* suum fideliter custodiere *boni*: *mali* ex ministris, hostes & rebelles facti, sub-

(g) *T. 1. Witeb. p. 413.* (h) *Disp. Scholast. in Becan. T. 1 p. 325.* (i) *Pneum. l. 3. c. 4. p. 179.*

subjugati tamen, ut velint nolint, genu subjectionis (Phil. II. 10.) ponere DEO cogantur. Qvi cum *Gregorio M.* distingvunt inter *Angelos ministrantes & assistentes*, ex falsa hypothesi de *ordinibus Angelorum*, non advertunt, omnes esse administratorios spiritus, (Hebr. I 14.) qvodq; Gabriel ad Mariam *missus, se stare* coram DEO (Luc. I. 19.) confiteatur. Qvin & *stare* promptitudinem ministerii indicat: undè cum de *bonis Angelis* hoc identidem legatur, (1. Reg. XXII. Job. I. &c.) nunqvam tamen *de malis*, qvamvis sæpè adsint DEO tanqvam accusatores, &, si permittatur, executores. *Ministrant* autem *Angeli boni* DEO, illius *respectu*, laudando, & adorando, & obseqvendo: nostro *respectu*, mandata & opera ad nos commissa peragendo, qvorum potissimum, tueri pios, omniaq; eorum, & punire malos. *Apologia* A. C. (k) ut & *Artic. Schmalcaldici* (l) *Orationē* qvoq; pro nobis *Angelis* concedunt: indè tamen religiosè adorandi non sunt; cum *Oratio ista* non ἱλαστική, *& mediatoria*; sed saltem ἱστορική, *seu relatoria*, & ipsi cæteroqvi saltem *ministri sint*. contra *Pontificios*, & veteres *Angelicos*.

§. 20. *Tutela piorum*, qvocunq; in statu, non *uni Angeli custodi*, eidemq; certo præcisè commissa est. Arbitrii hoc divini, qvot, aut qvem mittere velit. Sicuti Lotho *duo* missi; Jacobo *duo exercitus*; Petro captivo *unus*; Lazaro mortuo *multi &c.* Ineptiunt *Pontificii* (qvos qvidam etiam *Calviniani*, *Zanchius &c.* seqvuntur) pro *uno Angelo custode* acerrimè pugnantes, fingentesq;, nec natura nec scriptura suffragantibus, qvod *honoratioribus*, ut *Papæ* scilicet & *Episcopis*, unus è *primo ordine*: aliis *ignobilioribus* è *secundo*, *tertio &c.* qvis attributus sit, qvi & *imaginē* qvandoq; hominis assumat, ex Act. XII. 18. male intellecto. Conf. hic B. *D. Hülsemannū*. (m)

§. 21. Nugæ qvoq; sunt *Gentilium*, unum *Angelum bonum*, & etiam *unum malum*, [qvod tamen & *Lombardus*, *Bonaventura*, aliiq; nonnulli *Pontificii* tuentur] cuivis assignatum: *Ægyptiorum*, *tres* homini additos *Angelos*: *unum* qvi *animum* regat; *alterum* ex cœli dispositione, *genium*; *tertium Angelum Professionis* qvi in vocatione juvet: *Magorum* qvoq;, ex qvorum infida fide assertivè recenset *Robertus Flud de fluctibus*, qvemlibet hominem habere suum

Ange-

(k) *Apolog. ad art. 21.* (l) *part. 2. Art. de invocat. sanct.* (m) *Prælect. ad Brev. Cap. 3. th. 10. p. 1150. seq.*

Angelum principem, qvi mentē dirigat; alios qvi *vitam*; alios qvi *corpus*. Adamo familiarem fuisse *Razielem* Angelum, Semo *Jophielem*, Abrahamo *Zadkielem* Jacobo *Pelielem* Josepho *Gabrielem*; qvi & *Josuæ, Danieli & Mariæ* additus; Mosi *Metatron*, Eliæ *Maltielem*, Tobiæ *Raphaelem*, Davidi *Cervielem*, Esdræ *Urielem*, Salomoni *Michaelē*, *&c*.

§ 22. Et qvamvis nonnulli *Patrum* Ecclesiæ qvoq; de *uno Angelo* qvandoq; locuti: *conjecturaliter* tamen id saltem, (pariter ac in loco Act. XII. 15. Syrus *fortassè* apponit) cum hoc arbitrii sit divini, vel unum, vel plures (de qvô Psal. XXXIV. 8. XCI. 20.) piis adjungere: nec posito uno, alterum excluditur. Sic & verba *B. Lutheri* nostri: Dein heiliger Engel sey mit mir / daß der böse Feind keine Macht an mir finde ꝛc. *absolutè*, non *exclusivè* accipienda, potius *inclusivè*; ut in illo hymno: Befiehl deinm Engel/ (*in singulari*) das er kom̃/ ꝛc. Et seqvitur post paulo; Gib uns (*in plurali*) die lieben Wächter zu. Conf. B. *D. Qvenstedium* (n)

§. 23. Qvà *pœnam* qvoq; non semper *malos Angelos* DEUS adhibet, sed qvandoq; *bonos* ut in expulsione Protoplastorum, Gen. III. 24. In Sodomitis Gen. XIX. in pœna Davidica 1. Chron. XXII. 15. seq. in Zachariæ incredulitate punienda Luc. I. 20. in cæde Herodis, Act. XII. 2 . addubitante licet ad h. l. *B. D. Danhauero* (o) sed postea se qvasi colligente (p) &c.

§. 24. *Locutio Angelica* est operatio Angeli, qva Angelus alteri conceptus & voluntatem suam communicat. *In communicatione conceptuum formaliter locutio consistit*. Sivè postea id fiat *imprimendo* conceptus, seu saltem *dirigendo*, seu alium *illuminando*, seu qvacunq; alia *relatione*; vel etiam in *assumptô corpore* ipsas *formando voces*: *materiales* saltem illi respectus sunt. Nec potest *specialissimus modus*, utut se fatigent *Scholastici*, in hâc mortalitate determinari, maximè qvomodo *ad* animam hominis, (non *in* anima, in qvâ solus DEUS sibi sedem servat, de qvo vid. Dn. *Præsidis* ψυχολογία cap. 4. § 33. & Conf. Luc. XXII. 3. cum Joh. XIII. 2 & 1 Cor. V. 5) interius loqvatur, inq; *spiritualiter obsessis* inficere animam, & pravissimis cogitatis implere qveat.

§. 25. *Motio alieni corporis* est actio angelica, qvâ movere corpus aliud & impellere potest Sic facile *Diabolo*, permittente DEO, (qvod

(n) *Syst. Theol. part. 1. cap. XI. sect. 2. qvæst. 9.* (o) *Hodosoph. p. 208.* (p) *ib. pag. 926.*

(qvod semper supponendum, cum *subordinata* ejus potestas sit, & cæteroqvin Providentiæ divinæ regere omnia & ordinare, *à qvâ* bona omnia, mala culpæ *sub illa*) *fulmina, tonitrua & ventos*, vel in Lapponum Regione â mancipiis vendendos, aliasq; *tempestates* ciere: vel *serenitatem* qvoq; reducere. Sed cum actio illa *materialis* sit, non immediatè id â spiritu fieri potest; sed *mediante naturâ*, cujus sagacissimus ipse scrutator, &, phrasi Scripturæ, dominator in aëre. Applicat ergò ibi activa passivis, hic cogendo nubes in tempestatem: illic in sudum dispellendo.

§. 26. Sic & *ignibus erraticis* qvandoq; se jungit, vocem addendo & decipiendo. Sic & *ventorum* vi, aut *terræ motu* adhibito, prosternit domos, ut Jobo usu venit. Qvin & sicuti per *bonum Angelum Habacuc*, imo ipse *Salvatur*, in summâ suâ humiliatione, per aërem â Dæmone voluntariè raptus est, Matth. IV. Ita & *reapse* hodieq; homines, in qvos jus nactus, & ipsi dediti, rapidissimè aliò transferre valet, non tamen sine omni morâ, aut qvadam successione; cum recipiens recipiat ad modũ suæ receptivitatis. Unde & *translatio in montem Bructerorum*, vel Agrum Beneventanum, in tractu Neapolitano, qvandoq; qvidem *phantastica & imaginaria* est, qvod *Baptista Porta*, *Wierus*, & alii non præter rem tuentur: qvandoq; tamèn & *realis* est, defendente rectè *Delrio*, *Remigio*, *Gryllando*, *Binsfeldio*, & aliis. De qvibus, qvæq; aliàs huc pertinent, *Dn. Præses* prolixè in Tract. De Magia. (p)

§. 27. *Variarum rerum productio est* operatio angelica, qvâ per activam potentiam extra se multa possunt efficere. At cum *limitata* eorum *potentia* sit, nec producere possunt omnia, qvæ libet. Vide supra. §. 3. sq. Hic breviter dicimus, *Spiritualia & immaterialia & phantastica*; ut somnia, ex se posse producere: *materialia* autem non item, cum ipsi sint immateriales; sed mediante naturâ rerum, & applicando activa passivis, magisq; adeò in *causæ moralis* modum, qvæ *applicativa* est, qvam *physica & naturalis*. Sic producunt *odores*, mediante sulphure; *sonos*, aëre mediante, &c: Sic & *edere* possunt *verè* (non in nudo *phantasmate*, nisi in tali appareant, tum enim & *imaginariè* edunt) & *realiter*; non tamen *naturaliter*, sed *præter naturaliter* in corporibus assumptis. Formale enim *esionis* est *cibi in corpus assumptio. Masticatio, sangvivificatio &c.* conseqventia sunt, & ad modum naturalem pertinent.

(p) *Edit A. 1665. p. 137. seqq.*

§. 28. *Homines* autem in assumptis corporibus *generare* neqveunt, qvidqvid ex Gen. VI. malè intellectô, qvidam *Patrum & Judæorum*, ut & *Pontificiorum*, cum priscis *Sethianis* sentiant. *Generatio* qvippè formaliter est *communicatio ejusdem essentiæ*; qvæ hic diversa. Et qvamvis in corpore assumpto qvandoq; (plerumq; enim merum phantasma est, & sensus sagarum altè soporati in Ephialtes modum) *incubi & succubi* Diaboli fieri qveant, [Vid. & hic Dn. Præses lib. de Magia] (q) & adeò reverâ se *adjungere* mancipiis suis, hominem tamen reverâ generare neqveunt. Neq; enim *ipsi* habent *semen*, medium necessarium; nec *corpora assumpta*, qvæ vel cadavera, vel vapores constipati sunt: & *semen* aliunde ab *Onaniticis* fortè sublatum, est *inanimatum*, [cum anima nostra sit immaterialis, & ideò indivisibilis, secus ac animæ brutorum] & *causarum sociarum* maris & fœminæ, ad traducem sui, intimâ conjunctionem reqvirit. Ne jam de *spirituositate* ejus dicam, qvæ, censente *Harvæo*, subtilissima & facile evaporabilis est.

§. 29. Interim *semina brutorum* jam ex utroq; sexu coagulata, si copia eorum detur, utpote ranarum, aliorumq; vermium, posse surripere, sagis communicare, qvin & generationem qvoq; talium *promovere*, non multum repugnabimus. *Liberi autem supposititii*, vel aliundè *surrepti* sunt, vel ipse *Diabolus* in assumpta tali formâ se sistit: vel etiam, ex mente *B. Sperlingii* (r) *massa qvadam carnis* est homini similis, qvam ex semine & sangvine sagarum, (vel nescio ex qvibus morticinis,) Diabolus formavit, pro anima per se ipsum implens, multumq; clamans fere & vorans, nec virgis (ut credit vulgus, qvodq; ultra 19. annos non duret, &c.) sed precibus ad Deum piis abigendus.

§. 30. *Assumptio corporum* est actio Angelica, qvâ sibi corpus aliqvod aliunde sumptum ad tempus per accidens unit. *Hypostasis* Angeli unum est unitorum: sed modus non *hypostaticus*, verum *parastaticus* & accidentalis. *Corpus* qvod assumitur, vel est jam *formatum*, illudq; *mortuum*; utpote cadaver aliqvod (*bestiæ* mâlim, qvàm *hominis* qvantumvis *impii*; cum *piorum* ossa custodiat Deus Ps. XXXIV. & *impiorum* corpora, præterqvam qvod corruptioni facilè obnoxia, non *regno affectato* Diaboli, sed *potentia* Dei subjecta sint, suppliciis æternis reservanda,) vel *vivum*; ut cum in obsessione corpor ali. per modum *formæ* qvasi *informantis* Dæmon inhabi-

(q) *pag. 40.* (r) *Instit. Phys. l. 2. c. 4. qv. 12.*

tat

tat, qvamvis non *essentialiter*, ut dictum, sed *accidentaliter*: vel est *corpus* ex aëre & vaporibus *formandum* ab illo, in hanc vel illam speciem, hujus fortè vel illius defuncti, cui postea spiritus per modum *formæ assistentis* externè adest, & varia peragit.

§. 31. Hinc tot *apparitiones Angelorum*: hinc *spectra*, mera Satanæ ludibria. Neq; enim pro *animabus demortuorum* habenda, qvæ seu *beatæ*, è cœlo ad terrestria hæc non remeant; è manu Dei nemo eripiet, Joh. X. sivè *damnatæ*, eorum Dominus Diabolus non est, sed ipse cum iis in Gehenna ad supplicium captivus tenetur, 2 Pet. II. 4. Alioqvin *Epulonis anima*, si potuisset, abiisset ad fratres suos, Luc. XVI. Ut rectè *Lavaterus* (s) *Pontificios* cum suis *animabus* rideat. Et certè nil nisi *Diabolus* sub *spectro* latitat, mentiturq; defunctos, neutiqvam colloqvio periculoso dignand⁹, vel crucibus, reliqviis sanctorum aliisq; ineptiis pellendus, aut exorcismo Papistico: sed verâ fide, precibus, ac verbo Dei; prout armaturam S. Paulus descripsit, Eph VI. Conf. *Balduinum*. (t)

(s) l. de Spectris p. 2. c. 4. seq. (t) l 3. Cas. Consc. c. 7. per 8. Cas.

Caput V.

DE DIVISIONE ANGELORUM.

§. 1. Ut magna *Angelorum multitudo*, qvæ neutiqvam ad 55. vel 77. pro *Aristotelico* orbium cœlestium numero: vel &, cum *Basilidianis*, ad 365. restringi qveat, qvod § 22. c. 3. tetigimus: Sed potius innumerabilis â parte nostri (non sui, nec Dei,) tùm bonorum, tùm malorũ exercitus, atq; coram Deo (certus numerus pro incerto) millena millia consistant, Dan. VII. 10. Diabolus qvoq; vel in uno homine legionem expleat, Luc. IIX 10. ita & *divisionem* suam ista fert multitudo.

§. 2. Non ergò *de divisione Angeli* unius sermo est, de qvâ cap. 3. §. 5. 6. 13. sed *de divisione Angelorum inter se*. Ubi primò *essentialiter dividuntur in plures non specie*, ut planè verisimile, contra *Thomã*, *& consortes*: sed saltem *numero*, inqvem modum *animæ* qvoq; *nostræ* dividuntur. Neq; ergô & Angelorum nomina, *Michael*, *Gabriel*, *Raphael &c.* [ut *Seraphim & Cherubim*] tam *appellativa* sunt, & pro *officio*, qvod obeunt, diversa, ex mente B. D. Gerhardi: qvam *propria & singularia*, cum B. *D. Ægid. Hunnio*, (a) & *B. D. Geiero*, (b)

(a) Tom. II. Orat. 2. p. 760.
(b) in Dan. c. 10. v. 13. p 803.

§. 3. *Accidentaliter* dividuntur 1. *ratione qvalitatis*, *in bonos & malos*. Neq; enim *naturam* eorum *malam* creatam esse vel ex natura liqvet; cum à perfectissimo opifice nîl possit mali effici, qvod tamen

men *Manichæi* censuere, à qvibus non multum absunt qvidam *Scholastici, Scotus &c.* qvi *potuisse creari malos* putant : & Pontificii qvidam, qvod ὐδέτεροι facti : & *Calviniani, Wendelinus &c.* qvi ex *decreto divino lapsos* opinantur. Nec etiam essentia lapsorum mutata est essentialiter, & materiales facti ex parte, ex mente qvorundam *Græcorum*. Sed ratione *qvalitatum*, & qvæ illas seqvuntur *operationum*, qvidam dicuntur *boni*, & qvidam *mali*. Unde & Gentes discrimen illud ex naturâ per opera eorum, agnovere, qvod *Eusebius* (c) *ex Porphyrio, &c. B. D. Calovius* (d) ex Socrate &c. probat. Unde tanto magis errârunt, qvi illorum, inter *bonos & malos* tertium & *medium genus* commenti, de qvibus *Clem. Alexandrinus* (e) *& Augustinus*. (f) Maximè cum inter *bonum & malum* morale non detur medium.

(c) l. 4. de præpar. Ev. c. 2. (d) Syst. Theol. T. 4. de Ang. in gen p. 31. (e) l. 5. Stromat. (f) l. 8. de Civ. D. c. 13. seq.

§. 4. *Ordinem* qvoq; inter *Angelos* esse, ex *natura* constat : cum DEUS sit DEUS ordinis, & omnia in certo numero ac ordine creârit. Ideoq; 2. dividuntur Angeli *ratione ordinis in superiores & inferiores*; pariter ac Diabolus, omnis aliàs confusionis in terra Auctor & amator, suum affectatum regnum, Luc. XI. & ibi ordinem, Col. II. 15. Ap. XII. 7. servat. Qvalis autem ille *bonorum ordo, vel officiorum distincta munia*, nec ex *Scripturæ libro* exactè constat, etiamsi jungas *libro naturæ*, ex qvo planè non liqvet. *Paulus* qvidem, Col. I. 16. post *Thronos, Dominationes, Principatus & Potestates* ponit : sed Eph. I. 21. *ordinem* mutat, ut *Principatus* primi sint, deinde *Potestates, Virtutes* & tandem *Dominatus*. conf. 1. Pet. III. 22. Ut ne in determinando simus nimis curiosi. Errant igitur cũ *Platonicis Judæi* qvi *X. ordines* constituunt, & ex his *tres gradus, supra cœlestes, cœlestes & sublunares* : qvin & *diebus* singulos attribuunt : diei solis *Raphaelem*, lunæ Gabrielem, martis Sammaelem, mercurii Michaelem, Jovis Zidkielem, Veneris Hanaelem, Sabbathi Nephargelem. (g) Errant & Pontificii, dum 7. Planetis totidem Angelos assignant : Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, *Urielem*, Salathielem, Gehudielem, Barachielem. Sed & cum Pseudo Dionysio X. ordines, & ex iis III. Hierarchias, qvarum altera alteri major, illustrior, & doctior, ut alteram illuminare possit, comminiscuntur. Qvem ordinem cum Gregorius M. mutârit, alius jam ordo Dionysianus, alius Gregorianus, qvem & Bernhardinum vocant, factus est. Errat & insigniter Henricus Nollius, (h) ubi cum Ethnicis, alios cœlestes; eosq; vel primarios vel 2darios; alios aëreos, eosdemq; vel orientales, vel occidentales, vel meridionales vel septentrionales; tandem & terreos & aqveos fingit. Plura de his per spacii angustiam, non licet, aliò reservanda. (i) Placet interim Modestia Nazianzeni : Angelorum ordo notus est ei, qvi ipse ordinavit. Innotescet & nobis melius, qvando illorum miscebimur choris, & inchoatum hic Hymnum in cœlis absolvemus, sine fine dicentes :

(g) Th. Bangius. l. cæl. orient. p. 74. seq Hornb. c. Jud. p. 308. (h) l. 3. Phys. Hermet. c. 2. seq.

(i) Conf. interim B. D. Qvenfted, Syst. Theol. p. 1. C. XI. Sect. 2. q. 8.

Sanctus! Sanctus! Sanctus! Dominus DEUS Zebaoth!

DUm GABRIEL scripto retegis GABRIELIA Sacra,
Implens mensuram *Nominis* ipse Tui,
Promeritus planè laudes plausumq; bonorum,
Qveîs labor & studium displicuisse neqvit.
Opto, *DEUS Zebaoth* porro conatibus assit,
Angelus atq; viis usq; satelles eat.
Dum benè defensus contra *Caco-Dæmonis* artes,
Angelicis tandem sis comes ipse choris.
Fiet id, assiduè recoles si *Nominis* omen,
Et *VIR* redderis mente animoq; *DEI.* *
* GABRIEL, Vir fortis DEI.

AUD. suo pio, modesto & sedulo
PRÆSES.

SUnt genii sancti qvi nobis templa tremenda
Augustis scitis venerandi Numinis implent,
Atqve Sacerdotum clarissima munia tractant.
Dum docto genios calamo jactare laboras,
Optima cœlestis ponis rudimenta ministri.
Angelus ut Gabriel socios superavit honore,
Omine sic fausto nomen tibi maxima præstet.

N. A. POMPEJUS, D.

ANgelus qvid sit, tua mens, amande
Gabriel, qværit, sapiens eundem
Qvatenus, sacri, reperire possit,
Luminis expers.

Hoc idem fecit Plato, Dux sophorum,
Excipit doctus Stagiræus illum;
Angelum qvem nos, vocitamus illi
Dæmona dicunt.

Non humi serpit memoranda virtus;
Abditas terræ penetrat cavernas:
Rursus emergit: volitat per auras:
Tendit ad astra:

Et choro sancto sociatur: Inde
Numen agnoscit. Remeat deorsum
Gaudet se fontem reperisse, rebus
qvi dedit ortum.

Tuqve laudatos seqveris sophistas,
Laudo conatum, Gabriel! tuisqve
Angelus, cœptis, precor, increatus
adsit ab alto.

PAULUS Jetze/ Profess.
Græcæ lingvæ & Musices.

Angelus

1477.

ANgelus est, GABRIEL, de qvo nunc scribere gaudes;
Cur non de Summo scribitur ergo DEÔ?
Sed ne mireris, Lector, qvod dogma resumat
Angelicum GABRIEL; Nomen & omen habet.
Ardua næ res hæc, GABRIEL, modò perge, Brabéum,
Scita Thalia feret; Gratulor inde Tibi.

φιλίας χάριν f.
ZACHARIAS LIEBENO, Gryphisb. Pom.

WOrin sich Plato nie recht völlig kunte finden/
Und Aristoteles uns nicht gewißheit gab/
Das kan er wehrster Freund/ durch Gottes Wort ergründen/
Und legt hier öffentlich des fleisses Proben ab.
Diß ist die süsse Frucht/ so ihm Verstand und Tugend
Auß bittren Wurtzeln bringt. Man sieht schon vor der Zeit
An seiner Wissenschafft/ und wolerzognen Jugend
Des Vaterlandes Nutz/ der Eltern höchste Freud.

Dieses schrieb glückwünschend und wohlmeinend
seinem geehrten Freunde in Eyle
CARL GUSTAFF HERÆUS,
Holm. Svec.

ALs eins das Römsche Volck sich schlug mit den Frantzosen/
Und zwey alleine nur im Kriege solten losen/
Gab Titus Manlius,* ein unverdroßner Held/
Sich hin in diesem Kampff; behielt auch drin das Feld.
Wie Titus nun gezeigt das kämpfen der Soldaten/
So kan man solches auch den jungen Leuten rahten
Die Phœbo zugethan/ damit sie fein bey zeit
Sich üben in der Kunst/ und in dem Tugend Streit.
Du wilt/ mein Bruder/ itzt auch solchen Kampff vollführen/
Drumb mög' ein tapfrer Geist der Klugheit dich bezieren/
Wie Manlio geschehn/ Mit Ketten der Vernunfft/
Ja mit dem güldnen Schmuck der Weißheit und der Kunst.

* Gotofredus in Chron. Hist. part. 2. p. 157.

CHR. MICH. GABRIEL, Sed. Pom